† 19 C. Viol. Dom. IV. Advent. 2. cl. De ea sem. Invit. etc. ut Dom. praec., et ppr. loc. In Miss. sine *Glor.* Or. ibi., Cr., Praef. Ss. Trinit. et in fin. *Bened. D.no* Vesp. de seq., com. Dom. Ant. *O Radix.*

„ *Extra Civit. etc.* Vesp. de S. Thoma de Villanov. Ep. C. *Mer. Supr.* Ant. ppr., com. Dom. Ant. *O Radix.*

„ *In Eccl. Metrop. Min. etc. ut in Dom. I. Advent.*

20 C. R. Fer. 2. (*Vigil. sine jejun. de qua nihil in Off.*). Ss. Januarii (R) et Soc. Mm. dup. (*fuit 19. Sept.*)., ll. 1. n. cur. fer., rel. ibi., com. fer. in L. et M. *Salus.* 3. Or. Vigil., et ejus Ev. in fin. Vesp. de seq., com. praec., et fer. Ant. *O Clavis..*

„ *Extra Civit. etc.* C. A. S. Thomae de Villanov. Ep. C. dup. (*fuit 3. Oct. in Brev. vero 18. vel 22. Sept.*)., ll. 1. n. cur. fer., rel. ibi. cum Ant. ppr. ad *Benedict.*, com. fer. in L. et M. *Statuit.* Or. ppr., 3. Or. Vigil., et ejus Ev. in fin. Vesp. de seq., com. praec. et fer. Ant. *O Clavis.*

21 C. R. Fer. 3. S. Thomae Ap. dup. 2. cl. Off. ut ibi., com. fer. Ant. *Nolite timere.*, quae hab. post lect. 3. n. huj. diei in L. et M. ppr. cum Cr., et Praef. Ap. In 2. Vesp. com. seq. Ant. ppr. et fer. Ant. *O Oriens.*

„ *Extra Civit. etc.* In 2. Vesp. com. S. Hedwigis Reg. Vid., et fer. Ant. *O Oriens.*

22 C. A. Fer. 4. (*Jejunium*). S. Thomae de Villanov. Ep. C. dup. (*fuit 3. Oct. in Brev. vero 18. vel 22. Sept.*). *Mer. Supr.* ll. 1. n. cur. fer., rel. ibi. cum Ant. ppr. ad *Benedict.*, com. fer. in L. et M. *Statuit.* Or. ppr. Vesp. a cap. de seq., com. praec., et fer. Ant. *O Rex.*

„ *Extra Civit. etc.* C. A. S. Hedwigis Reg. Vid. dup. (*fuit 17. Oct.*). Off. de Com. nec V. nec

M., ll. 1. n. cur. fer., rel. ibi., com. fer. in L. et M. *Cognovi.* Or. ppr. Vesp. a cap. de S. Joan. a Cruce C. *Mer. supr.*, com. praec., et fer. Ant. *O Rex.*

23 C. A. Fer. 5. S. Hedwigis Reg. Vid. dup. (*fuit 17. Oct.*). Off. de Com. nec V. nec M., ll. 1. n. cur. fer., rel. ibi, com. fer. Ant. *Ecce completa.* in L. et M. *Cognovi.* Or. ppr. In 2. Vesp. com. fer. Ant. *O Emmanuel.*

R „ *Extra Civit. etc.* C. A. S. Joan de Cruce C. dup. (*fuit 5. Dec. in Brev. vero 24. Nov.*)., ll. 1. n. cur. fer., rel. ibi., com. fer. Ant. *Ecce. completa.* in L. et M. *Os justi I.* Or. ppr. In 2. Vesp. com. fer. Ant. *O Emmanuel.*

24 C. Viol. Fer. 6. Vigil. Nativit. D. N. J. C. *cum Jejunio.* De ea. Ad Matut. Invit. *Hodie scietis.* ppr. Hymn. *Verbum supernum.* Ant. et Ps. huj. fer. 6. ℣. *Hodie scietis.* Absol. *Ipsius.* Ben. *Evang. lect.*, ll. ibi. Ad Laud. et rel. Hor. fit. Off. ritu dup. In Miss. ppr. sine *Glor.* et sine *Cr.* dic. unic. Or., et Post Grad. omitt. *Allel.* et ℣. seq., ac in fin. *Bened. D.no* Vesp. de seq. sine com. In Hymn. *Jesu.. qui natus.*, et sic usque ad Epiph. exclus., et deinc. post *Alma Redempt. etc.* dic. ℣. *Post Partum.* et Or. *Deus, qui salutis.* usque ad 2. Vesp. Purificat. B. M. V. inclus.

„ *In Eccl. Metrop. Min. utunt. Dalm., Pluviale vero pro canendo Martyrol. debet esse C. Viol.* S. R. C. 22. Mart. 1817. N.° 4377. ad 8.

„ *Hodie et deinc. usque ad Oct. Epiph. inclus. prohib. Miss. Votiv. et Def., ac de cadente Anniv.; non tamen prohib. Solemn. de Req. praes. Corpore.*

„ *Sacerdos celebratur. seq. nocte per 6. horas sit jejunus ex congruentia.*

„ *In Eccl. Metrop. et alibi I. Miss. cant. post mediam noctem. II. Cras in Aurora, et non prius, nisi privileg. sit concess., et haec post Hor. Prim. III. in die post Tert.*

„ *Ante Auror. prohib. Minist. Sacram. Poenit. et Eucharist. praesert. mulieribus exceptis gravit. infirmis.* S. R. C. 23. Mart. 1686. N.° 2956. ad 2.

„ *Si quis Sacerdos die seq. celebrare debeat in locis inter se dissitis, nec sit alius Sacerdos, qui Calicem primo adhibit. purificet, idem Calix transferend. est pro rel. Miss. Ut autem decentiae ac reverentiae Sacramento debitae consulatur, Sacerdos post sumpt. Ss. Sanguinis Calici impurificato imponat Patenam et Pallam, quas cooperiat velo, quod etiam circumligab. Calici prout fit in reposit. Sacram. in Sepulcro fer. V. in Coena D.ni. Calicem vero sic coopert. et circumligat., defectu Tabernaculi, relinquat in Altari super Corporale usque dum, suo tempore, sic praeparatum, decenter deferat ad aliam Eccl. ut ibi celebret etc., et in ult. Miss. illum purificet de more.* S. R. C. 16. Sept. 1815. N.° 4365.

† 25 C. A. Sab. Nativitas D. N. J. C. dup. 1. cl. cum Oct. (*Fest. Pal.*). Omn. ppr. ut ibi. In Miss. Cr., ad cuj. ℣. *Et incarnatus est* in Miss. Solemn. omn. genufl., Praef. et *Communic.* ppr. per Oct. Ad Prim. ℣. *Qui natus.* usque ad Epiph. exclus. In 2. Vesp. com. seq., et Omn. Ss. Martyr. Ant. etc. ex Lib. nov.

„ *Hodie prohib. Miss. in Orat. priv., nisi privileg. sit concess. infirmo, et Solemn. de Req. etiam praes. Cadav.*

„ *Hac die celebr. possunt* 3. *Miss. In I. et II. non purific. Calix, nec sumenda est ulla purificatio., Sacerdos enim omnes Miss. jejunus celebrare debet., et dictis Orationib. consuetis abluant. digiti in vase mundo, et absterg. Purificatorio. Et si quis per accidens sumpserit purificat. in I. vel II. Miss. debet abstineri a celebrat. aliar. Missar. Item in I. Miss. ad* Communic. *dic.* Et noctem. *In II. Miss. omitt. commem.* S. Anastasiae. *In. III. vero sumunt.*

omnes purificat., et in ejus fin. legit. Evang. Epiph. *Qui unic. Miss. celebrat, dic. III. non vero I. vel II.*

† R 26 C. R. Dom. *(vacat)*. S. Stephani Protom., et Commem. Omn. Ss. Martyr. dup. 2. cl. cum Oct. *(Fest. Praep.)*. Off. ut ibi., com. Omn. Ss. Martyr. ex Lib. nov., et Oct. Nativ. D.ni in L. et M. ppr. *(Or. etc. pro omn. Ss. Mm. ex Fol. nov.)*., Cr., Praef. et *Communic.* ut heri. Vesp. de Nativ. a cap. S. Steph., com. Omn. Ss. Mm. ex Lib. ut supra., seq., et Oct. Nativ. D.ni.

R 27 C. A. Fer. 2. S. Joan. Ap. et Evang. dup. 2. cl. cum Oct. Off. ut ibi., com. 2. Oct. in L. et M. ppr. Cr. etc. ut supra. Vesp. de Nativ. a cap. S. Joan., com. seq., et 2. Oct.

R 28 C. Viol. Fer. 3. Ss. Innocen. Mm. dup. 2. cl. cum Oct. Off. ut ibi. In 3. noct. loco 2. Ant. *Tradiderunt.* dic. *Isti sunt.* Non dic. *Tedeum.* sed 9. ℟. com. 3. Oct. in L. et M. ppr. sine *Glor.* Ad *Grad.* omiss. *Allel.* et ℣. seq. dic. *Tract.* Cr. etc., et in fin. *Bened. D.no* Vesp. de Nativ. a cap. Ss. Innocent., com. seq., et 3. Oct.

R 29 C. R. Fer. 4. S. Thomae Cant. Ep. M. sem., ll. 1. n. *A Mileto.*, rel. ibi., com. 4. Oct. in L. et M. ppr. cum Cr. etc. ut supra. Vesp. de Nativ. ritu dup. a cap. de seq. Or. *Praesta.. ut qui.*, com. Dom. infr. Oct. Ant. *Dum medium.*, praec., et 4. Oct.

30 C. R. Fer. 5. S. Nicephori M. dup., ll. 1. n. *Incip. Ep. B. Pauli Ap. ad Roman.* ex Dom. infr. Oct., rel. in Lib. nov., 9. l. et com. Dom., et 4. Oct. in L. et M. *In virtute.* Ev. *Si quis vult.*, Cr. etc., ac Ev. Dom. in fin. Vesp. de Nativ. a cap. de seq., com. praec., Dom. Ant. *Puer Jesus.*, et 4. Oct.

R 31 C.A. Fer. 6. S.Silvestri Pp.C. dup. ut ibi., com. 4. Oct. in L. et M. ppr. cum 6. Or. *Deus cuj. Misericordiae etc.* pro gratiar. actione, quae

patet post Miss. Votiv. Ss. Trinit., Cr. etc. Vesp. de Circumcisione D.ni sine ulla com. C. A.

„ *In Eccl. in quibus asservat. SS. Eucharist. Sacramentum Solemn. cantet. Hymn.* Te Deum. *in gratiar. actione pro beneficiis a Deo hoc anno collatis.*

LITTERA MARTYROL. PRO SEQ. ANNO ERIT A. MAJ.

O. A. M. D. G. B. M. V. H.



SUFFRAGIA

DE SS. PATRONIS ET PROTECTOR. ARCHI - DIOECESIS

DICENDA POST COMMEM. SS. AP. PETRI ET PAULI.

AD LADUES.

Antiph. Laudemus Viros gloriosos, et parentes nostros, quorum sapientiam narrant populi, et fidem nunciat Eccles.

℣. Orate pro nobis Ss. Martyres, et Protectores.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Qui ℣. *et* ℟. *tam ad Laud. quam ad Vesp. dic. ab Oct. Epiph. usque ad Purificat. B. M. V. tant; deinc. vero, quia* ℣. Ora pro nobis etc. *dict. fuit pro S. Maria sumat.*

V. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Et laetabuutur in cubilibus suis.

Quae si in Off. recitata fuerint, loc. ipsor. dic.:

℣. Laetamini in Domino et exultate Justi.
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Quae si quoque fuerint dicta, sumat.

℣. Exultent Justi in conspectu Dei.
℟. Et delectentur in laetitia.

OREMUS.

Precibus et meritis Ss. Martyrum tuorum Hilarii, Tatiani; Hermagoræ, et Fortunati concede nobis, Omnipotens et Misericors Deus, ut in fide, quam, Te docente, praedicarunt, humiliter, et constanter perseverantes, eorum gloriae in aeterna beatitudine copulari mereamur.

AD VESPERAS.

Antiph. Hi sunt Viri Sancti, qui pro testamento Dei laverunt stolas suas in Sanguine Agni, et ideo nomina eorum vivent in aeternum.

℣. Orate pro nobis etc. } *ut supra usque ad Pu-*
℟. Ut digni efficiamur etc. } *rificat. deinceps.*
℣. Laetamini in Domino etc.
℟. Et gloriamini etc.

Quae si fuerint recitata dic.:
℣. Exultabunt Sancti etc.
℟. Laetabuntur etc.

Quae si parit. fuerint dicta sumat:
℣. Exultent Justi etc.
R. Et delectentur.

OREMUS.

Precibus et meritis Ss. Martyrum tuorum etc. *ut supra.*

In devot. publ. pro Celsissimo et Reverendissimo Antistite nostro seq.

ORATIO.

Deus, omnium fidelium Pastor et Rector, Famulum tuum **Franciscum Xaverium**, quem Pastorem Ecclesiae tuae Goritiensi praeesse voluisti, propitius respice; da ei quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest proficere, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Dominum. etc.

CASUS RESERVATI.

A quibus, excepto casu necessitatis, nonnisi exquisita et obtenta a Celsiss. ac Reverendiss. Domino Ordinario facultate, absolvere licet.

I. Furtum rerum Sacrarum in loco Sacro commissum.

II. Abortus fœtus sive animati, sivi inanimati reipsa procuratus.

III. Homicidium voluntarium et intentum, sive per se, sive per alium, perpetratum.

IV. Actus venereus cum haebreis et inter Confessarium, ac Poenitentem consumatus.

V. Attentatio machinationis aut conjurationis contra terrae Principem.

EXAMINA GENERALIA.
pro beneficiis curatis habentur hoc anno:

Primum. 11. Aprilis et sequentibus Maii.
Secundum. 3. Augusti et sequentibus.

DIES NORMALES.

Quibus omnis generis spectacula publica, saltationes delectationesque etc. in Statibus Caesareo-regiis juxta Supremam Resolutionem die **19** Augusti **1826** datam. Decreto Excelsae Caes. Reg. Cancellariae Aulicae de dato **24** ejusdem Mensis ad n. **24337** publicatam, ac Decreto Excelsi Caes. Reg. Gubernii Litoralis sub die **19** Septembris praedicti anni n. **17543** horsum comunicatam, prohibentur:

I. Ultimis tribus diebus Adventus;
II. In Festo Nativitatis Domini;
III. Feria IV. Cinerum;
IV. In Festo Annunt. B. M. V.;
V. A Dom. Palm. usque ad Dom. Resurrect. Domini inclusive;
VI. Dom. Pentecost.;
VII. In Festo SS. Corporis Cristi;
VIII. In Festo Nativitatis B. M. V.

Insuper prohibentur Musicae saltatoriae et choreae publicae, aeque ac privatae, etiam toto Adventus Domini tempore, et sequentibus diebus usque ad Epiphaniam inclusive; a die Cinerum usque ad Dominicam in Albis pariter inclusive; omnibus diebus jejunii de praecepto, nec non diebus Veneris et Sabbati per totum annum.

LUNATIONES ASTRONOMICÆ

ad annum Domini bissextilem 1852
pro latitudine poli Goritiensis.

JANUARIS					
Die	7 P.L.	hor. 7	m.	20	m.
„	14 U.Q.	hor. 2	„	29	m.
„	21 N.L.	hor. 8	„	37	m.
„	29 P.Q.	hor. 11	„	45	m.
FEBRUARIUS					
Die	5 P.L.	hor. 8	m.	3.	v.
„	12 U.Q.	hor. 11	„	13	m.
„	20 N.L.	hor. 2	„	4	m.
„	28 P.Q.	hor. 6	„	42	m.
MARTIUS					
Die	6 P.L.	hor. 6	m.	41	m.
„	12 U.Q.	hor. 9	„	49	v.
„	20 L.N.	hor. 7	„	53	v.
„	28 P.Q.	hor. 10	„	—	v.
APRILIS					
Die	4 P.L.	hor. 3	m.	34	v.
„	11 U.Q.	hor. 10	„	10	m.
„	19 N.L.	hor. —	„	56	v.
„	27 P.Q.	hor. 9	„	13	m.
MAJUS					
Die	3 P.L.	hor. 11	„	33	v.
„	11 U.Q.	hor. —	„	34	m.
„	19 N.L.	hor. 4	„	26	m.
„	26 P.Q.	hor. 4	„	49	v.
JUNIUS					
Die	2 P.L.	hor. 7	m.	37	m.
„	9 U.Q.	hor. 4	„	25	v.
„	17 N.L.	hor. 5	„	58	v.
„	24 P.Q.	hor. 9	„	57	v.

JULIUS					
Die	1 P.L.	hor. 4	m.	39	v.
„	9 U.Q.	hor. 10	„	17	m.
„	17 N.L.	hor. 5	„	26	m.
„	24 P.Q.	hor. 2	„	12	m.
„	31 P.L.	hor. 2	„	23	m.
AUGUSTUS					
Die	8 U.Q.	hor. 2	m.	37	m.
„	15 L.N.	hor. 3	„	8	v.
„	21 P.Q.	hor. 7	„	12	v.
„	29 P.L.	hor. 4	„	17	v.
SEPTEMBER					
Die	6 U.Q.	hor. 7.	m.	45	v.
„	13 N.L.	hor. 11	„	46	v.
„	20 P.Q.	hor. 2	„	28	v.
„	28 P.L.	hor. 7	„	35	v.
OCTOBER					
Die	6 U.Q.	hor. 11	m.	47	m.
„	13 N.L.	hor. 8	„	25	m.
„	20 P.Q.	hor. 1	„	6	m.
„	28 P.L.	hor. 1	„	4	m.
NOVEMBER					
Die	5 U.Q.	hor. 1	m.	51	m.
„	11 N.L.	hor. 5	„	51	v.
„	18 P.Q.	hor. 3	„	38	v.
„	26 P.L.	hor. 7	„	52	v.
DECEMBER					
Die	4 U.Q.	hor. 1	m.	33	v.
„	11 N.L.	hor. 4	„	42	m.
„	18 P.Q.	hor. 9	„	50	m.
„	26 P.L.	hor. 2	„	20	v.

STATUS PERSONALIS

ET LOCALIS

ARCHI - DIOECESEOS

GORITIENSIS

EXEUNTE MENSE NOVEMBRI 1850

APPENDIX

AD DIRECTORIUM LITURGICUM



GORITIAE

TYPIS SEITZ.

SERIES

ANTISTITUM AQUILEJENSIUM
ET GORITIENSIUM

CUM NOTIS

SERIES
Antistitum Aquilejensium

*Anni asterisco * notati certe determinari nequeunt.*

N.	Ab anno	Ad annum	
			1. Episcopi.
1	63*	. . .	S. Hermagoras, Germanus
2	. . .	90*	S. Hilarius seu Helarus, Aquilejensis
3	. . .	. . .	Chrysogonus I. Græcus
4	. . .	. . .	Chrysogonus II. Græcus
5	. . .	. . .	Agapitus
6	314	. . .	Theodorus
7	. . .	. . .	Benedictus
8	347	. . .	Fortunatianus, Afer
			2. Archiepiscopi.
9	369*	389*	S. Valerianus, Gallus
10	389*	407*	S. Chromatius, Aquilejensis
11	407*	. . .	Augustinus, Beneventanus
12	434*	. . .	Adelphus seu Delfinus, Altinas
13	. . .	. . .	Maximus
14	444	447*	Januarius, e Pola in Istria
15	451	454	Secundus, Salicus
16	454*	. . .	S. Nicetas, Græcus
17	485*	. . .	Marcellianus, Græcus
18	500*	515	Marcellinus, Romanus
19	521*	. . .	Stephanus, Mediolanensis
20	529		Mecedonius

N.	Ab anno	Ad annum	3. Patriarchae SCHISMATICI	ORTODOXI
21	557	569	Paulinus I. seu Paulus Roman.	. . . . .
22	569	571	Probinus, Beneventanus	. . . . .
23	571	586	Elias, Græcus	. . . . .
24	586	607	Severus, Ravennas	. . . . .
			AQUILEJÆ	IN INSULA GRADO
25	607	. . .	Joannes I. Aquilejensis	607 Candidianus Ariminensis
26	. . .	. . .	Marcianus, Piranensis	612 Epiphanius e Castro Umago in Istria.
27	628	. . .	Fortunatus	613 Ciprianus Polan.
28	. . .	. . .	Felix	628 Primog. Aretinus
29	. . .	. . .	Joannes II.	648 Maximus, Dalm.
30	. . .	. . .	Joannes III.	668 Stephanus. Parentinus.
				673 Agatho. Justinopolitanus.
				685. Christophorus, Polanus.
			ORTODOXI, SCHISM. SUBLATO, AQUILEJÆ.	
31	698	711	Petrus I. Polanus	
32	711	717	Serenus	
33	717*	737*	Calistus	
34	762*	776	Sigvaldus, Forojuliensis	
35	776	802	S. Paulinus II. Forojuliensis	
36	. . .	811*	Ursus I. qui et Urbanus	
37	811*	. . .	Maxentius	
38	. . .	847*	Andreas, Forojuliensis	
39	847*	850*	Venantius, Italus	
40	850*	871*	Teutimarus, Germanus	
41	871*	874*	Lupo seu Lupus I.	
42	875*	901*	Valpertus	
43	901*	. . .	Fridericus I.	
44	928	. . .	Leo, Forojuliensis	
45	931	. . .	Ursus II.	
46	. . .	. . .	Lupo seu Lupus II.	
47	. . .	. . .	Hengelfredus, Germanus	
48	963	. . .	Rodoaldus, Germanus	
49	984	. . .	Joannes IV. Ravennas	
50	1019	1042	Popo vel Volffgangus, Germanus (*	

N.	Ab anno	Ad annum	
51	1042	1049	Eberardus, Germanus
52	1049	. . .	Goteboldus, Germanus
53	. . .	1068	Ravengerus seu Ravenger, Germanus
54	1068	1077	Sigeardus e Comitbus de Pleien, Germanus
55	1077	1084	Henricus, Germanus
56	1084	1085	Fridericus II. Slavus
57	1085	1122*	Uldaricus I. e Ducibus Carintiæ qui et Volricus, Voldaricus et Vorlicus
58	1122	1128	Gerardus, Forojuliensis
59	1132	1161	Peregrinus I. e Ducibus Carintiæ
60	1161	1182	Uldaricus II. e Comitibus de Treven.
61	1182	1195	Gotefredus
62	1195	1204	Peregrinus II.
63	1204	1218	Volcherus de Leubrechtskirchen, Germanus
64	1218	1251	Bertoldus ab Andechs
65	1251	1269	Gregorius de Montelongo, Campanus
	1269	1273	„ „ Sedes vacabat
66	1273	1299	Raimundus Turrianus, Mediolanensis
67	1299	1301	Petrus II. Gera, Ferentinas
68	1302	1315	Ottobonus de Razzis, Placentinus
69	1316	1318	Gastonus Turrianus, Mediolanensis
70	1319	1332	Paganus Turrianus, Mediolanensis
	1332	1334	„ „ Sedes vacabat
71	1334	1350	B. Bertrandus e Comitibus Scti Genesii Gallus
72	1350	1358	Nicolaus, Joannis Regis Boemiæ filius
73	1358	1365	Ludovicus Turrianus
74	1365	1381	Marquardus de Randeck, Augustanus
75	1381	1387	Philippus de Alenconio, Gallus
76	1387	1394	Joannes V. e Marchionibus Moraviæ
77	1395	1402	Antonius I. Cajetanus, Romanus
78	1402	1408	Antonius II. de Portogruaro – Antonius III. da Ponte, Venetus
79	1408	1435	Ludovicus II. Teckius, Hungarus
	1435	1439	„ „ Sedes vacabat
80	1439	1465	Ludovicus III. Scarampus Mediorota, Patavinus 1439. – Alexander, e ducibus Massoviæ, Polonus
	1465	1471	„ „ Sedes vacabat

N.	Ab anno	Ad annum	
81	1471*	1491	Marcus I. Card. Barbus, Venetus
82	1491	1493	Hermolaus I. Barbarus, Venetus
83	1493	1497	Nicolaus II. Donatus Venetus
84	1498	1517	Dominicus Card. Grimanus, Venetus
85	1517	1546	Marinus Card. Grimanus, Venetus
86	1546	1592	Joannes VI. Grimanus, Venetus
87	1592	1616	Franciscus Barbarus, Venetus
88	1616	1622	Hermolaus II. Barbarus, Venetus
89	1622	1628	Antonius IV. Grimanus, Venetus
90	1628	1629	Augustinus II. Gradonicus, Venetus
91	1629	1656	Marcus II. Gradonicus, Venetus
92	1656	1657	Hieronymus Gradonicus, Venetus
93	1657	1699	Joannes VII. Card. Delfinus, Venetus
94	1699	1734	Dionysius Delfinus, Venetus
95	1737	1751	Daniel Card. Delfinus, Venetus.

SERIES

ANTISTITUM GORITIENSIUM.

I. Archiepiscopi. S. R. I. Principes.

1	1752	1774	Carolus Michael e Comit. ab Attems Gorit. (r 2
2	1774	1784	Rudolphus Joseph. e Comit. ab Edling, Gorit.

II. Episcopi goritienses seu gradiscani.

3	1788	1816	Franciscus Philipp. e Comit. ab Inzaghi, Styr.
4	1819	1830	Josephus Walland, Carniolus

III. Archiepiscopi. Metropolitae regni illyrici.

	1830	1834	Josephus Walland, idem qui supra
5	1835		Franciscus Xaverius Luschin, Imp. Austr. Princeps, Carinthus.

ADNOTATIO

1) *Recurrente anno Centesimo, quo, suppresso Patriarchatu Aquilejensi, haec neo-erecta Dioecesis Archi-Praesuli Carolo Michaeli e Comitibus ab Attems gubernanda et administranda tradebatur, sequentia duo documenta in gratae ac perennis aestimationis contestationem erga bonum Pastorem et amantissimum Patrem hic ponere muneris nostri esse ducimus.*

VENERABILI FRATRI CAROLO MICHAELI ARCHIEPISCOPO ELECTO, Goritiæ.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod Misericordiarum Pater et Deus totius consolationis per ineffabilem Divinæ Bonitatis suæ abundantiam post aliquot secula in diebus nostris dignatus sit populis istarum Austriacarum Regionum, qui erant tamquam oves errantes, et non habentes pastorem, dare ducem et præceptorem et Episcopum Animarum suarum, ipsi soli Deo Regi seculorum immortali et invisibili, Venerabilis Frater, honorem et gloriam persolvere debemus. Nos enim, qui vices Supremi Pastorum Principis Jesu Christi in terris plane immerentes gerimus, quamcumque in gravissimo hujusmodi negotio operam pro injuncto Apostolicæ nostræ servitutis onere contulimus, eidem bonorum omnium Largitori acceptam referentes, supplices poscimus, et exoramus, ut confirmet hoc, quod operatus est in Nobis a Templo sancto suo, ut debitæ ipsi offerantur gratiarum actiones et Laudum munera. In majorem vero tuæ, Venerabilis Frater, observantiæ erga Nos singularis commendationem recidunt officia, quæ demissis grati devinctique animi significationibus eo nomine Nobis per humanissimas Literas testata esse voluisti, quod Te primum Goritiæ Archiepiscopum constituerimus. Nos certe, qui Sacrosancti Apostolatus ministerio satisfacere, et Christifidelium utilitati æternæque saluti consulere curavimus, magnum ex hoc nostro judicio fructum vo-

luptatis constaturum Pontificiæ nostrae solicitudini confidimus, minime dubitantes, quin amplissimus Tibi delatus honor et dignitas ita Fraternitatem tuam excitet, ut ardentori, quam hactenus Te gesisti, alacritate, vigilantia, cura ac zelo oves Tibi commissas ad salutaria pascua ducere et custodire satagas et adnitaris.

Porro Fraternitati Tuæ persuasum esse cupimus, vicem nullam aut Pontificio animo Nostro gratiorem, aut nomine tuo digniorem a Te redditum iri, quam ut Apostolicæ benignitatis nostræ beneficia Te ad æternam Animarum salutem procurandam magis inflammasse, atque ad divini cultus incrementum magis cessisse sentiamus. Perge igitur, Venerabilis Frater, impigra sedulitate, ministerii tui partes explere, atque in dies amplius demereri non tam nostram et Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis benevolentiam — hanc namque, quoad Nobis integrum fuerit, a Te numquam desiderari patiemur — quam coronam legitime laborantibus in Cœlo repositam a Justo Remuneratore Deo Tibi retribuendam. Interim cœlestis præsidii auspicem et studiosæ erga Te nostræ voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem, quam populis etiam tuæ curæ creditis nostro nomine elargiri valeas, Fraternitati Tuæ peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris XVIII. Maji MDCCLII Pontificatus Nostri anno Duodecimo.

(L. S.) Cajetanus Amatus *m/p.*

Ultima praefacti Archiepiscopi monita ad dilectum suum Clerum sub finem anni 1773 data; ipse enim die 18 Februarii an. 1774 in Domino obdormivit.

CAROLUS MICHAEL

Dei, et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Goritiensis S. R. I. Princeps, e Comitibus ab Attems et Abbas S. Petri de Rosacio, et de Topolcsa, Præpositus Rudolphs - Wertensis, Utriusque Sac. Cæs. Reg. et Apost. Maj. Actual. Int. Consiliarius etc. etc.

Dilectis Nobis in Christo Venerabilibus Fratribus Archidiaconis, Commissariis, Decanis, Parochis et Vicariis,

ceterisque Animarum Rectoribus Nostræ Goritiensis Diœcesis, Salutem et Christianæ perfectionis incrementum.

Annum novum, Deo auspice, jamjam ingressuri, Filii Dilectissimi, totis contendamus viribus, ut tales esse incipiamus, quales in die novissimo inveniri cupimus; nec satis nobis sit, tales aut videri aut æstimari; sed omnis in eo cura sit, ut in nullo reprehensibiles reperiamur. Debitores sumus Deo, quoniam Ipse elegit nos, et posuit nos, ut fructum afferamus; debitores sumus proximo, quoniam Unigenitus Dei Filius pastores nos constituit Gregis Sui, præcipiens nobis, ut pascamus eum in innocentia cordis nostri, et demus animam nostram pro ovibus suis. Diligamus proinde Deum Patrem, quoniam ipse prior ita dilexit, ut Filium Suum Unigenitum daret redemptionem pro omnibus; diligamus et Filium ejus qui tradidit semetipsum pro nobis; diligamus Spiritum Sanctum, quoniam gratia ejus diffusa est in cordibus nostris.

Non hic tamen sistamus gradum sed dilatantes spatia Charitatis, diligamus et proximum propter Deum, ut ex hoc Mundus agnoscat, quod diligamus Deum, quoniam diligimus Fratres; sic enim spe gaudentes erimus debitum nostrum ad novissimum usque quadrantem solutum iri, quoniam plenitudo legis est Dilectio. — Perfecti estote sicut Pater vester in Cœlis perfectus est; qui justi sunt inter vos, justificentur adhuc; qui sancti sunt, sanctificentur adhuc: in via enim Charitatis non progredi, deficere est; et qui stat videat, ne cadat.

Attendite vobis, attendite Gregi, qui desuper datus est vobis: videte an omnia recte agantur apud vos? Cavete ne ex iis, quos dedit vobis Omnipotens, quispiam pereat: quoniam sanguinem eorum, qui ob incuriam vestram perierint, requiret de manibus vestris. Vigilate itaque, soliciti estote, ne lupus oves rapiat, et non sit, qui eripiat. Pascite Gregem verbo, pascite exemplo; estote fideles administratores Mysteriorum Dei, ut cum venerit Dominus posueritque rationem vobiscum, recipiat vos in æterna tabernacula.

Constitutiones nostras, et pastoralia Decreta sive occasione Visitationis, sive alias edita, sæpius legendo percurrite, ac utrum ad unguem servata hactenus fue-

rint, a vobis ipsis exquirite. Ritualis pariter Romani rubricas, Diœcesanas Constitutiones, Sacras utriusque Testamenti paginas, Sacrorum Canonum decreta, moralis Theologiæ Authores magis probatos, pios Ascetas pervolvite; ab otio velis remisque declinate; familiarem cum sexu altero conversationem fugite; Sedem Confessionalem, velut honoris Chatedram, frequentes occupate: ita demum in omnibus et per omnia vos ipsos dirigite, ut digni gradu vestro reputemini, nec audeant Adversarii obloqui contra vos.

Si quod vitium in Gregem vestrum irrepserit, in ipso illud ortu supprimite: aut certe, si radices fixerit, e medio tollite, ac damna reparate. Dissidia inter familias, simultates, litigia aliaque hujusmodi, dexteritate vestra componite. Superstitiones, novas observationes, festorum violationes, Ecclesiarum profanationes, nocturnas vagationes, ebrietates et commessationes radicitus extirpate; omnes denique vires omnem sollicitudinem, omne studium in id impendite, ut redatis populum Deo placentem, et acceptabile fiat obsequium vestrum.

Infirmos spiritu, ac miseros peccatores patienter sustinete, jugiter memores, bene valentibus opus non esse medico; Deum etiam de lapidibus facere posse filios Abrahæ, et qui hodie latro est, cras esse posse cum Disma in paradiso. Absit proinde, ut quemquam deserendum aut contemnendum arbitremini; non enim abbreviata est manus Domini, qui de Cœlo in terras descendit, ut peccatores lucrifaceret. Infirmis corpore pariter vos debitores agnoscite, ut, si gravi detineantur infirmitate, frequente eos solemini visitatione, ac extremis roboratos Sacramentis, ad ultimum usque halitum non deseratis: si pauperes insuper sint, ut præsentanea eis subsidia, quantum facultas sinit, hilari animo supeditetis, exortamur. Eleemosynas vestras Angeli vestri custodes ad thronum divinæ Misericordiæ perducent. Si autem dilectionem cum ovibus vestris exhibetis, etiam aliis, præsertim in salute confirmatis, quando occasio, sive publice in Ecclesia, sive privatim, se offert, vos esse debitores, agnoscite; illosque debitis instructionibus ad viam Salutis disponite. Instructio enim Gregis

est præcipuum munus pastoribus a Christo Domino in persona suorum Apostolorum impositum. In Evangelio legimus, quod, postquam Magister noster illos ad Apostolatum vocavit, eosdem prædicare omni Creaturæ Regnum Dei, et pœnitentiam miserit. Si itaque Deus in suis Ministris scientiam expostulat; si illos, prout Propheta Malachias declarat " labia Sacerdotis custodiant scientiam „ depositarios Mysteriorum Salutis constituit, certe noluit, ut thesauri Doctrinae essent absconditi, sed ut populus ex eorum ore illos susciperet.

Dividant ergo Parochi cum suis Cooperatoribus labores, et conciones et Catecheses et portent principale onus muneris pastoralis. Minatur Salvator noster doctoribus legis Moisis, quod cum haberent claves doctrinae, et cognitiones primarum veritatum, quas hominibus revelari oportebat, ipsi neque pro se, neque pro aliis salubriter utebantur: Vae vobis Legisperitis, quia tulistis claves Scientiae, et ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis. — Damnabuntur Chistiani, qui opera charitatis corporalia erga proximum exercere dedignabantur, tanto plus nobis persuadeamus, quod supliciis afficiet ministros Ecclesiae inutiles, et otiosos, qui debita opera spiritualia charitatis exequi neglexerunt, cum hic agatur de vita aeterna animarum, quarum major pars in peccatis usque ad mortem insordescit eo, quod illis panis et lac divinae doctrinae sœpius defuerit. Pastores Animarum sunt patres populorum. Filiis suis de jure naturali alimenta praebere debent, et esset magis inhumanum denegare illis sœpius catecheticam instructionem, quae est animarum nutrimentum, quam si pater vel mater crudelis denegaret suae tenerae proli alimenta, quae prae manibus habet.

Cum theologales actus inter praecipuas instructiones recenseantur; dum festis diebus eliciuntur, hoc fiat alta, et clara voce, interpollatim, cum pausa verba proferat Curatus, et populus illa repetat, et recitatio et sensus horum actuum tam necessariorum memoriae rudis plebis magis imprimatur.

In hoc exercitio, et aliis videte, Fratres charissimi, ut tantam curam, et solecitudinem impendatis, quan-

tam sane maximam charitatem Christo omnes debemus. *Si diligis me*, inquit, *pasce oves meas*. Certe si Christum, ut debemus, diligimus; si Regnum Christi propagare intendimus, id solerti erga Gregem vestrae curae concreditum, charitate, verbo et exemplo, vos comprobare non pigeat. Id sane praestabitis, si a Nobis, a vigilantissimo vestro Archidiacono, et indefessis Decanis excitati nullis laboribus deterreri, non difficultatibus labefactari, non Satanae, adversarii nostri, colluctatione frangi unquam patiemini, sed divini Amoris igne accensi omnium virtutum ecclesiasticarum studio eo progredi contendetis, ut populus perpetuis progressibus, et laboribus ad pascua cœlestia et tabernacula feliciter perducatur.

Nos postquam de messe copiosa, de fructibus opimis, vestra cura et sudore hoc anno, et anterioribus aliis colectis, ac de servitiis spiritualibus in hac Archi-Diœcesi præstitis vobiscum gratulamur, Deus vobis sua gaudia, et dona multiplicet, ingredientem annum cum pluribus aliis pacem et consolationem spirantibus benigne concedat.

Hoc anno emanavit caes. reg. Rescriptum, in quo Dominiis, et Judicibus mandatur, ut ante adimplementum Missarum et legatorum haereditas defunctorum haeredibus non extradatur. Hoc pro vestra, Fratres charissimi, directione vobis significamus, ac exhortamur, ut in vestra ultima voluntate Seminarii Diœcesani memineritis. Mementote Nostrae imbecillitatis in Altari, ponite Nos super calices vestros, quod et Nos vicissim pro vobis praestabimus. Indulgentias 40 dierum, si unum Pater et Ave hodie pro consequenda, ac impetranda Nobis gratia Finali orabitis, vobis impartimur. Obviam nunc imus, et Pastoralem Benedictionem ambabus manibus Vobis peramanter impartimur.

(2) *Ex jam in hisce notis superioribus annis citata Provinciali et Archi—Dioecesana Synodo a Prato—Archiepiscopo nostro Carolo Michaeli e Comitibus ab Attems anno 1768 Goritiae celebrata, ad Cleri populique instructionem, sequentia ponimus.*

CONSTITUTIO XVI.

De Sacramento Extremae Unctionis.

Clementissimus Redemptor noster multiplices calidi et veterosi hostis praenoscens insidias, quemadmodum servis suis auxilia maxima in Sacramentis aliis praeparavit, quibus conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incomodo possent; ita extremae Unctionis Sacramento finem vitae firmissimo veluti quodam praesidio, munivit.

In hujus explicatione Sacramenti Parochi diligentius versabuntur contra perniciosum nonnullorum errorem, existimantium, quod si hoc Sacramentum recipiatur, mors aegroti sit certo certius secutura, declamantes populos docebunt, qualiter hujus vigore Sacramenti in Dei gratia recepti, peccatorum reliquiae abstergantur, utpote, quod non solum animae, sed et corporis quandoque efficacissima esse solet medicina, atque eos serio monebunt, ut morbo periculoso gravati, praesentissimum istud ad animae et corporis salutem remedium, integra adhuc mente, et rationis usu cum firma fide, et religiosa animi praeparatione adhibeant, nec eo usque differant, dum in extremum vitae discrimen et periculum adducti, omnibus tam animi, quam corporis sensibus destituantur.

Curent praeterea, ut infirmi pœnitentiae et eucharistiae Sacramentum extremae praemittant unctioni, nisi Apoplexia, fulminis ictu, aliove repentino casu oppressi sensibus et rationis usu privantur. Omni vero tempore ad administrandum hoc Sacramentum promptos se et paratos exhibeant, sollicitique caveant, ne quis absque hoc Sacramento e vivis discedat, cum multoties ab eo salus hominis dependeat; nec expectent, donec ad infirmos evocentur, sed aegrotantium et periculose decumbentium petitiones sua hac in re sedulitate praeveniant.

Si qnos in parochia sua aegrotos noverint, frequenter atque adeo quotidie si fieri potest, invisant, spiritualibus eos consolationibus, et temporalibus etiam subsidiis sublevent, ad fidem, spem, charitatem, contritio-

nem, plenam cum Divina voluntate conformitatem, ad sufferendas patienter morbi molestias aliasque christianas virtutes excitent, de facienda Confessione, sumendo Viatico et extrema Unctione moneant, quinimo haec Sacramenta, si vitae periculum gravius imminere advertant, protinus administrent.

Semper tamen eos antea ad Sacramenta ejusmodi rite suscipienda disponant, adstantes, ut pro infirmo pias ad Deum precationes fundant, hortentur, tum psalmos poenitentiales, Litanias omnium Sanctorum et consuetas Ecclesiae preces juxta Rituale romanum recitent, atque in administrando extremae Unctionis Sacramento cœremonias accurate servent, aegroto in mentem reducentes indulgentiam plenariam a Benedicto XIV. summo Pontifice constitutis in articulo mortis concessam, eique suggerant, quid ad eam consequendam agere debeat ut nempe elicito de peccatis admissis doloris actu, et ferventissimae pro posse charitatis Deo sese paratum offerat, in anteactae vitae expiationem ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in pœnarum, quas peccando promeruit, satisfactionem. Denique infirmum piis verbis consolentur, eumque in spem erigant, fore, ut ex divinae munificentiae largitate pœnarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam.

Nec administrato hoc Sacramento totum se Parochi opus cum infirmis perfecisse existiment, quin durante infirmitate, si et quando eos pro debito visitaverint, piis monitis, et ferventibus exhortationibus, iteratis sœpius Thelogicarum Virtutum et Contritionis actibus, aliisque salutaribus mediis ad vitae usque terminum assidue adjuvent, agonizantibus assistant, eorumque animas ex hac vita migraturas, piis ac religiosis precibus Deo commendent.

Oleum Infirmorum Archidiaconi nostrae Archidioecesos singulis annis novum in majori hebdomada a Sancta Metropolitana nostra Ecclesia recipient, et inter Parochos sui districtus distribuent. Regularibus etiam de oleo infirmorum providebitur, sed ita, ut extremam Unctionem nec Clericis nec laicis — ne in excommunicationem

Apostolicae Sedi reservatam incidant; absque petita a Parocho licentia, nisi simul et de eorum familia sint, et intra Claustri limites actu degant, imo nec Religiosis quidem sui Ordinis, si extra Monasterium infirmentur, administrare praesumant, nisi recte ibidem parochialem curam ipsi obtineant. *Clem. I. de poen.*

Vasculum Sacri Olei, ut supra, argenteum sit, sub Parochi custodia non domi, sed in Ecclesia servetur, neque ab ullo, nisi gravis interveniat necessitas, ad infirmum deferatur, quam a Parocho, aut ejus Cooperatore, in oppidis ac civitatibus lumine semper praecedente.

Fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors proxime secutura prudenter timetur ungendi sunt, denegandumque est iis hoc Sacramentum, quibus certum adest vitae periculum, puta: mare transgressuris, praelium inituris, ultimo supplicio afficiendis, cum hoc illis desit, quod morbo laborent periculoso; hoc vero gravis morbi periculum ita necessarium est, ut sanis collatum Sacramentum vel nullum sit, vel illicitum, unde neque etiam extrema unctione muniri possunt feminae partui propinquae, nisi alia insuper lethalis corporis aegritudo iisdem accesserit. *Bened. XIV. in syn. dioec. lib. 7. c. 20*

Infirmis in eadem infirmitate sacra unctio repetenda non est, nisi melius se habere coeperint, et probabili judicio mortis periculum recessisse videatur, iterumque recrudescat, et novum mortis periculum urgeat, tunc enim iterum inungi poterunt.

Senibus, qui aetate provecti in diem videntur morituri, cum senectus ipsa sit morbus, absque alia infirmitate hoc Sacramentum administrari debet, neque etiam erit denegandum amentibus, aut phraenesi laborantibus ab vim morbi, modo priusquam in talem statum inciderint, illud saltem interpretative desiderarint, si nimirum christiane vixerunt, et aliquam salutis suae curam gesserunt. Furiosis vero, et perpetuo amentibus, nisi lucida quandoque produnt intervalla, septimum aetatis annum nondum egressis, impenitentibus item, et in manifesto peccato mortali decedentibus, excommunicatis, de haeresi suspectis, nisi signa conversionis ante dederint, extremae Unctionis Sacramentum nullo modo ministretur.

Si aegrotus sub actuali unctione decessurus timetur unicus sensus ungendus est, ea pronunciata forma, quam Rituale Romanum in his rerum eventibus assignat, caput tamen praeferendum, neque a gravis culpae reatu Parochi excusantur, si vel unam extra casum verae necessitatis ex septem unctionibus; praeterquam in lumbis et pedibus, praetermittant; si prudenter dubitetur, utrum infirmus etiamnum vivat? forma sub conditione pronuntietur; si inter unguendum decidisse animadvertatur, ab unctione cessetur.

Bened. XIV. de Synodo Dioec. lib. 7. c. 18.

Cum ordinarius hujus Sacramenti Minister sit proprius aegrotantis Parochus, tenetur illud ratione sui muneris ex justitia per se, vel per alium a se delegatum Sacerdotem parochianis suis ministrare ita, ut mortaliter peccet, si rite petenti, et in periculo vitae constituto neget, vel illud differat cum periculo, ne infirmus sine hoc salutari animae periculo decedat; caveant proinde, ne ex ipsorum negligentia, sine hoc Sacramento ullus e graviter decumbentibus parochianis moriatur, pro aedificatione populorum ipsi soepius moribundos accedant, libellum in quo opportunae ea propter exhortationes, et preces impressae continentur, secum ferant, hocque suis Cooperatoribus meritum, et incommodum nequaquam semper relinquant; ipsi enim praecipue de spirituali ovicularum suarum salute districtam Deo, et Nobis rationem reddent; ideoque invigilent, ne domestici, consanguinei aut amici aegrotantis, morbum, vel periculum occultantes, quovis modo, aut praetextu Sacramenti hujus administrationem impediant, et quemcumque hac in parte reum, severe pro merito punire, aut puniri facere non intermittant.

Nihil porro pro extremae Unctionis administratione unquam exigant, aut praetendant, ne importuna et turpi exactione fideles ab hujus Sacramenti susceptione avertantur, illudque sumere negligant, quod nonnisi praestita mercede sumere possunt.

CONSTITUTIO XVII.

De Sacramento Ordinis.

Cum res Divina sit Sacrosanctum Sacerdotii mini-

sterium, quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, consentaneum fuit, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures, et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio deservirent ex officio ita distributi, ut qui jam Clericali Tonsura insigniti, atque ita in sortem Domini adscripti essent, per minores ad majores ascenderent, atque in inferiorum Ordinum ministerio, Superiorum suorum judicio per omnia probati, Sacerdotes tandem esse mererentur. *Trid. Sess. 23. C. I.*

Merito SS. Patrum venerabiles sanctiones, cum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum sacris administrationibus idoneos censuerunt, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad provectiores usque annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia concurrissent, ut unicuique prior vita testimonium praeberet, nec quispiam Sacerdotalis dignitatis sibi honorem vel personali gratia caperet, vel ambitione sumeret, vel praesumptione arrogaret, sed qui vocatus a Deo tantum, foret tanquam Aaron. *S.Leo Mag. Epist. I. c. 4.*

Nos sane, si quos ad ecclesiasticum Ministerium aspirare noverimus, non ante clericali eos militiae adscribemus, quam bonam eorum indolem, anteactae vitae probitatem, in litterarum studio profectum, et Vocationis firmitatem indubiis perspectam habuerimus argumentis, ne contra Apostoli monitum, manus cuipiam cito imponentes, alienis peccatis communicemus, et ad ecclesiastici ministerii fastigium ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae sublimemus indignos. *Timot. V. v. 22* *S.Leo Mag. Epist. I. c. 2.*

Nullum, nisi quem Ecclesiae, et Archidioecesi nostrae utilem, ac necessarium esse noverimus, ad sacram ordinationem, et ad ecclesiastica ministeria admittemus. Et quia contingere potest, ut ex maxima ad ecclesiasticum statum hodie accedentium multitudine plures sint, qui de dignitate et onere hujus status, aut parum, aut etiam nihil cogitantes, vel rei familiaris augendae, domusque ditandae, vel defugiendorum in alio vitae genere laborum, vel propriae commoditatis causa, aliave simili ratione ducti, ecclesiasticae vitae institutum eligant, pauci vero eo solum fine, ut in procuranda animarum salu-

te Deo, et Ecclesiae serviant; nos pro pastoralis nostri muneris ratione, illud praecipue curabimus, ut finem vocationis, ejusdemque firmitatem in unoquoque Clericorum exploratam habeamus; illi vero non proprii sensus ductu finem aestiment, non suis cupiditatibus metiantur, sed ferventibus precibus, ac sollicita discussione perquirant, utrum a Deo vocati sint? sibique, quod Christus olim Apostolis, dictum putent: " *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis* „

Parentibus porro curae erit, si quos filios superno instinctu ductos non blanditiis, minis, aut importunis persuasionibus impulsos ad Ecclesiae ministerium vocari constiterit, a prima statim aetate vel in Seminariis, vel sub probati Sacerdotis institutione ecclesiasticae disciplinae mancipare, ut suavi paulatim jugo assuescant, in eis majus vitae meritum et doctrina cum aetate succrescat, omniaque felici terminentur exitu, quae bono inhoata sunt principio.

Explorato, ac probe, et graviter perpenso vocationis negotio, qui prima Tonsura, et minoribus Ordinibus initiandi erunt, praeter litteras testimoniales a proprio Parocho originis, vel si alibi studiorum causa degant, a Parocho domicilii de vita, et moribus, nec non a professore, vel scholarum praefecto de vitae integritate, legum observantia, frequenti Sacramentorum usu, factoque in litteris progressu, ac de peculiaribus animi inclinationibus clausas et sigillo munitas; litteras item baptismales, die, tempore et loco indicendis adferant Nobis, aut Vicario nostro generali exhibendas, quibus recognitis ad examen, habitu clericali, ac tallari veste induti se sistent; antequam tamen ad examen admittentur nullus clericalem habitum sine Nostra licentia scripto obtenta, aut gestare praesumat, alias a susceptione Ordinum repellendus.

Parochi in litteris suis testimonialibus suum inserant judicium, utrum spei aliquid affulgeat de adolescentis in proposito vitae instituto firmitate, ac perseverantia, disciplinae ecclesiasticae custodia, ac utili aliquando opera in vinea Domini.

Professores, et Scholarum praefecti id ipsum prae-

stabunt, siquidem tam illorum quam parochornm conscientiam graviter oneramus, ut in re hujusmodi ad Dei gloriam, et ad animarum salutem pertinente, nihil privato affectui, nihil precibus, nihil intercessionibus tribuant, sed personam ex puro merito aestimantes, sacerdotali conscientia, et intemerata fide rei veritatem pandant, ne minus rectum tenentes in Clericorum electione judicium, et se ipsos, et Ecclesiam Dei gravi damno afficiant, dum sui testimonii suffragio causa existunt, ut ad ecclesiasticae dignitatis collegium sublimentur indigni.

Etsi autem Sacras Ordinationes statutis a jure temporibus, quoties id Ecclesiarum nostrarum necessitas, vel utilitas postulaverit, adjuvante Domino celebraturi simus, generalem tamen Ordinationem nonnisi binis per annum vicibus instituemus: Sabbato sancto videlicet ante Dominicam Resurrectionis, et Sabbato quatuor temporum Septembris, quo tempore sicut omnibus nostrae Archidioecesis Clericis, et scholaribus liberum esse volumus ad Curiam nostram pro Ordinatione accessum, ita extra hoc tempus neminem admittemus, nisi aliter spectata necessitate, utilitate, ac praecipue Ordinandorum merito expedire judicaverimus.

Quoniam vero Tridentinum ad sacros Ordines requirit aptam ad docendum populos necessaria ad salutem ac ad Sacramenta ministranda scientiam; neminem ad primam Tonsuram, et quatuor minores Ordines, nisi in casu speciali, ex rationabili causa aliter Nobis visum fuerit, admittemus, nisi decimo quarto aetatis anno completo, studio philosophico terminato, vel altioribus inchoatis. *Sess. 23 de Refor. cap. 2.*

Prima Tonsura, et minoribus Ordinibus initiati, clericalis veluti militiae tyrones, et novi in castris ecclesiasticis milites ita Deo, Nobisque vocationis suae primordia commendare satagant, ut altiori gradu dignos se faciant. Cum habitu clericali, mores Clericis dignos praeseferant, nimiam cum saecularibus conversationem, familiaritatemque devitent, temporalibus negotiis non se implicent, pompas, oblectamenta, et saeculi vanitates fugiant, solitudinem ament, sanctissima poenitentiae et Eucharestiae Sacramenta singulis saltem mensibus, et in majoribus solemnitatibus religiose frequentent, officium

parvum Beatae Mariae Virginis quotidie, Defunctorum vero singulis semel mensibus devote recitent, synodales has Nostras Constitutiones, Catechismum romanum, Concilium Tridentinum aliosque libros, praecipue de ecclesiastica disciplina tractantes, assidue pervolvant, in Ecclesia parochiali suae originis, vel domicilii, in quo studiorum causa degunt, dominicis festisque diebus sedulo ad divina officia, ad doctrinam christianam, ad pubblicas supplicationes, quantum Scholasticae exercitationes admittunt, compareant, ministeria susceptorum Ordinum gradui, non tamen exorcistatus, congruentia exerceant, nec unquam e nostra Archidioecesi, ne studiorum quidem causa, sine nostra, vel Vicarii Generalis nostri, aut Archidiaconi sui expressa licentia in scriptis obtinenda abesse praesumant.

